

## CAPUT III.

## DE SEDE APOSTOLICA SEU SUMMO PONTIFICE.

Equidem aliud, ut Leo ep. 53. ad Anatolium inquit, sunt sedes, aliud sedentes, si vim vocis et significationem grammaticalem attendamus; cum sedes nomen sit auctoritatis, dignitatis et officii, sedens autem nomen personæ; auctoritatem, dignitatem et officium obtinentis: si tamen ex auctoritate et officio agat sedens, theologicum discrimen nullum inter sedentem ac sedem intercedere, vel ipsa in politicis loquendi ratio declarat. Contrarium ea in re quorundam Gallorum sensum reprobarunt non tantum celebres in Gallia Theologi, Thomassinus, Turnelius, Serry, aliique permulti; sed Præsules etiam amplissimi tum in comitiis Cleri Gallicani nostra ætate congregatis, tum in documentis Pastoralibus quibus monuerunt « non immorandum in distinctione ejusmodi abstracta et ab hæreticis ad illudendam ipsorum damnationem inventa, quam CYPRIANUS nunquam agnovit, cum pronuntiavit *quamlibet Ecclesiam in suo esse Episcopo*, quamque S. PETRUS DAMIANI præscripserit, qui Romano Pontifici olim scribebat: *Tu ipse es sancta sedes; tu es Ecclesia Romana: non recurro ad Petri fabricam, sed ad eos in quibus illius Ecclesie residet auctoritas.* » Explosa igitur hujusmodi differentia, de Romana Ecclesia seu sede Apostolica æque ac de Romano seu summo Pontifice præsens caput inscripsimus; in quo de Primatu, Superioritate et Infalibilitate Romani Pontificis agere proposuimus.

## ARTICULUS I.

## An S. Petrus habuerit Primatum Ecclesie?

155. *Nota.* Auctorem et caput Ecclesie veræ fuisse Christum diximus sub hujus disputationis initium: non abdicasse eundem ad cælos ascendentem suam in Ecclesia potestatem, adeoque non habere verum in terris successorem, ex ep. ad Hebr. c. 7. aliisque Scripturæ locis supponimus: subtrahendo fidelibus corporalem suam præsentiam, eum tamen non sic retinuisse hanc potestatem, ut illam cum nemine communicarit, nec vicarium sui visibilem in terris reliquerit pro Ecclesie regimine, rursus tum ex dictis ad Disputationis ingressum, tum ex sacris litteris patet. Cum porro potestatis a Christo relicte participes facti sint omnes Apostoli, an omnes ex æquo fuerint, aut inter eos a Christo constitutus sit unus qui emerit cæteris, haberet primatum, essetque visibile totius Ecclesie caput hic quaeritur.

1<sup>um</sup> communius asserunt Novatores, ut primatu Petri sublato, successorum Pontificum auctoritatem facilius evertant: prodierunt circa sæculi præteriti medium duo libelli, cœquantes Paulum Petro in Ecclesie regimine, duoque capita, quæ in unum coalescerent, constituentes: nostris etiam temporibus editæ sunt Theses, quæ qualicumque prærogativa Petro concessa,

jurisdictionem univæ Ecclesie in solidum ab Apostolis possessam, unumque omnium ac indivisum Episcopatum affirmabant.

2<sup>um</sup> et contrarium his omnibus statuit dogma catholicum, unum nempe et solum Petrum a Christo constitutum esse caput visibile Ecclesie, et accepisse primatum inter Apostolos. Est autem Primatus duplex, honoris et dignitatis alter, alter potestatis et jurisdictionis: prior est præeminentia præcisa auctoritate, quæ præcellentia tituli; prioritate ordinis, prædria conventus, et principatu actionis definitur: posterior est præeminentia cum auctoritate, quæ jus summi imperii complectitur, ideoque per generalem episcopiam et superintendentiam, supremam leges ferendi, tuendi, vindicandique potestatem, præcipuam administratos et magistratus constituendi, cogendi et dirigendi facultatem, ultimato judicandi personas, decidendi causas, et definiendi controversias auctoritatem, omnemque necessariam ad regimen tum internum tum externum bene constituendum potentiam explicatur.

156. *Dico I.* Concessus est S. Petro Primatus, non tantum honoris et dignitatis inter Apostolos, sed et potestatis et jurisdictionis in universam Ecclesiam.

*Prob. 1<sup>a</sup> p.* S. PETRUS præcelluit inter Apostolos titulo, mutato nomine, a Christo compellatus Cephas, quod syriace Petram significat; quam compellationem postremam cum Christo 1<sup>a</sup>. ad Corinth. 4. v. 10. communem habuit: primo loco nominatur in Apostolorum catalogo Matth. 10. v. 2. et Act. 1. v. 13.; solus item, reliquis tantum collectim indicatis, singillatim exprimitur Luc. 8. v. 45. et c. 9. v. 32.: prædriam tenuit Act. 1. v. 15. in conventu ad electionem Matthiæ coacto, et Act. 15. v. 7. in Concilio de Legalium observantia celebrato: principatum actionis exercuit Act. 2. v. 14. in annuntiando Judæis Evangelio, Act. 3. v. 6. in primo miraculo edendo, Act. 4. v. 8. in defendenda Evangelii causa, Act. 10. v. 34. in aperienda gentibus janua fidei, Act. 8. v. 14. in conferendo baptizatis Spiritu sancto, Act. 12. v. 5. in accipiendis Ecclesie pro se suffragiis. Ergo omnes conditiones ad honoris et dignitatis primatum requisitas habuit et implevit.

*Conf.* Idem Apostolus a Cyrillo Alexandr. L. 2. in Joann. c. 64. Cyprian. epist. 57. Hieron. L. 1. adv. Pelag. Chrysost. Homil. 3. in Act. Apost. Augustin. L. 1. contr. Julian. c. 4. et Serm. 76. c. 31. Gregor. L. 4. epist. 32. et aliis Patribus plerisque vocatur vel *primus* vel *princeps* vel *caput* vel *tenens primatum Apostolorum*: ergo cum principatus hic et primatus nec fuerit ætatis aut vocationis, nec favoris aut gratiæ, utpote quorum prioribus Andreas, posterioribus Joannes Petrum vincebant, saltem debuit esse primatus honoris et dignitatis.

*Prob. 2<sup>a</sup> p.* Duplex habetur Scripturæ locus, cujus altero primatus jurisdictionis in Ecclesiam PETRO promittitur, altero confertur. Prior legitur Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* et v. 19. *Et tibi dabo claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis:* posterior Joann. 21. v. 15. *Dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei: etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos;* et v. 17. *Dicit ei tertio: Simon Joannis*



*amas me? contristatus est Petrus, quia dixit tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: pascere oves meas.*

Inde sic argumentor: Primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam metaphorice significatur et recte intelligitur per fundamentum aedificii spiritualis, clavem regni caelorum, et munus pastorale gregis ex agnis et ovibus conflati; tum quia Ecclesia priore loco Matth. citato aedificii nomine, pluribus in parabolis Evangelicis nomine Regni caelorum, Joannis autem 10. v. 16. et 1<sup>a</sup>. Petr. 5. v. 2. et 3. nomine ovilis ac gregis indigitatur: tum quia primatus jurisdictionis Ecclesiasticae sub principio stabilitatis ex Luc 6. v. 4. et 1<sup>a</sup>. ad Corinth. 3. v. 11. in fundamento, sub Pontificia et Regia auctoritate ex Isa. 22. v. 22. et Apocal. 3. v. 7. in clavibus, sub potestate pasceendi et regendi ex Isa. 44. v. 28. et Act. 20. v. 28. in cura pastoritia adumbratur.

Atqui PETRO imprimis tribuitur ratio fundamenti, quia datur compellatio Petrae, super quam sit aedificium: cum proprietates nominis, plana verborum series, et antecedentia juxta et sequentia singularem Petri personam indigent; idque expositio Patrum, ORIGEN. apud Euseb. L. 6. c. 19. TERTUL. L. de Praescript. c. 21. CYPRIAN. epist. 40. 57. et 71. HILAR. can. 26. in Matth. EPIPHAN. haeres. 59. NAZIANZ. Orat. 26. BASILII ad c. 2. Isai. CHRYSOST. Homil. 2. de Pœnit. Hieron. L. 1. adv. Pelag. c. 4. AUG. in Psal. 69. et Serm. 29. de Sanctis, CYRILL. Alexandr. L. 2. in Joann. c. 12. LEON. Serm. 2. in annivers. Pontif. manifeste declarat.

Deinde promittitur eidem clavium potestas; quia substantia personae per nomen proprium nativitatis, relativum Patris, et a Christo recens adjectum, (*Simon Barjona Cephas*), addito etiam pronomine, designatur; idem personae, prius Christum confitentis, et postea a passione avocare conantis, cum eadem persona, promissum recipientis et paulo post reprehensi, ex contextu demonstratur; singularitas et proprietates personae ex defectu commissionis aut mandati ad dandam responsionem et recipiendam nomine aliorum potestatem colligitur; ut HILAR. Hieron. CHRYSOST. THEOPHIL. in hunc locum. AUG. L. 2. contr. epp. Gaudentii c. 23. AMBROS. L. de Isaac. c. 3. et alii testantur.

Denique huic ipsi tribuitur cura pastoritia in oves seu Apostolos, in agnos seu fideles, ad Christum spectantes, adeoque in omnes seu universum gregem, appellatione scilicet et interrogatione etiam comparativa amore non minus, quam commendatione de pasceendo grege ad Petrum ter directa; quod tum Petri tristitia, sors futura et curiositas in contextu expressa, tum Patrum CHRYSOSTOMI, AUGUSTINI et CYRILLI in hunc locum, AMBROSII in Luc. c. 24. LEONIS in epist. 89. MAXIMI aliorumque testimonia confirmant. Ergo.

Conf. PETRUS exercuit episcopiam generalem peragendo Act. 9. et 10. Syriam et Palaestinam, atque epistolam catholicam geminam ad conversos ex Gentilibus et Judaeis exarando; supremam potestatem legislativam Act. 14. communicationem fidei cum gentibus faciendam tuendo, et Act. 15. observationem Legalium tollendo; praecipuam magistratum constitutionem, Act. 1. electionem Apostoli ordinando, Sedes Patriarchales tres fundando, similem eorum coactionem et directionem in conventibus Apostolorum celebratis ostendendo; jurisdictionem summam Act. 5. examinando et puniendo Ananiae et Sapphirae delicta, ad Galat. 1. vocationem Pauli ad Apostolatam cognoscendo et probando, Act. 15. controversiam de legalibus deci-

dendo: ergo praeminentiam cum auctoritate seu primatum potestatis secundum omnes suas partes habuit et usurpavit.

157. *Objic.* Nullus Scripturae locus ex allatis demonstrat Petri primatum: ergo jure divino collatum saltem probari non potest. *Prob. Ant.* Per petram vel 1<sup>o</sup>. non intelligitur PETRUS, sed Christus; tum quia non tantum 1<sup>o</sup>. ad Cor. 10. v. 4. dicitur: *Petra autem erat Christus*; sed etiam ibid. 3. v. 11. scribitur: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus*: tum quia AUG. hoc sensu petram explicat, Tr. ult. in Joan. inducens Christum sic loquentem: *Super hanc petram, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam*; et serm. 13. de V. D. *Super me aedificabo te, non me super te*: vel 2<sup>o</sup>. non intelligitur PETRUS tantum, sed et alii Apostoli; tum quia interrogatio Christi, *vos autem, quem me esse, dicitis?* ad omnes Apostolos pertinebat: tum quia Apostoli etiam vocantur fundamenta Ecclesiae ad Ephes. 2. v. 20. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*: unde Hieron. L. 1. contra Jovin. ait: *Super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo solidatur*: vel 3<sup>o</sup>. non intelligitur persona Petri, sed fides ejus et confessio; dicente HILAR. L. 6. de Trinit. *Super hanc confessionis petram Ecclesiae aedificatio est: haec fides est Ecclesiae fundamentum*: idem affirmantibus Cyrill. Alexandr. L. 4. de Trinit. et Chrysost. Hom. 55. in Matthaeum.

*R. ad Arg. N. A.* Ad Antecedentis prob. memb. 1. N. Ad Scripturam R. D. Per petram et fundamentum intelligitur Christus alibi, C. hic et in textu controverso. N. vel *subd.* per petram et fundamentum principale ac primarium, C. ministrale ac secundarium, N. Praeterquam quod in laudatis textibus Christo signate tribuatur nomen petrae ac fundamenti, etiam ipsa significatio id exigit; cum in primo per petram indigetetur causa meritoria gratiarum omnium, in secundo auctor et objectum fidei; quae significata uni Christo congruunt: e contra in textu nostro et nomen petrae aut fundamenti discretis verbis et sensu plano adscribitur Petro, et significatio id patitur; cum illa voce visibile caput, rector ac princeps Ecclesiae designetur.

*Ad AUG. R. D.* Explicat is petram hoc sensu, quem ipse judicet unicum, quique reapse sit genuinus ac litteralis, N. quem ipse existimet probabiliorem, qui tamen revera sit improprius, C. Sensum hunc non tanquam unicum aut necessarium haberi ab Augustino, ipse declarat L. 1. Retract. c. 21. ubi expendens Librum suum contra Donati epistolam, sic notat: *In hoc libro dixi de Petro quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus B. Ambrosii: sed scio me postea saepissime sic exposuisse, ut petra intelligeretur quam confessus est Petrus: petra autem erat Christus, quam confessus Simon dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quae sit probabilior, eligat lector.* Eundem non esse litteralem et genuinum liquet ex argumentatione ad hunc textum superius producta. Cur tamen AUG. sensum suum praehabuerit nostro, rationem aliqui petunt ex linguae Hebraicae seu Syriacae ignorantia, qua factum sit ut S. Doctor existimarit vocem Cephas et Petrus non significasse saxum et petram, sed derivatum duntaxat ab his, saxum scilicet vel petrinum; ideoque, cum Ecclesia super petram, non petrinum duntaxat aliquod, fundanda esset, non PETRUM, sed Christum intelligi oportere. Alii volunt cum-



dem eo tantum spectasse ne putaretur Petrus propria virtute ac seorsim a Christo aedificasse Ecclesiam, neve Donatistis, contra quos hic agebat, relinqueretur praesidium, Ecclesiam stabiliendi supra sanctitatem ministrorum; ut ex verbis objectionem e Serm. 13. desumptam sequentibus colligere est: *Nam volentes homines aedificari supra homines, dicebant: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ipse est Petrus; et alii, qui volebant aedificari super Petrum, sed super petram: ego autem sum Christi etc.*

Quoad memb. 2. N. A. Ad Rat. 1. R. Interrogatio quidem directa erat ad omnes Apostolos; nulla tamen illis hic facta est promissio, sicut nulla ab iis data est responsio. Nec enim responderunt verbis suis, utpote quorum nihil extat, nec verbis Petri, quia haec non erant imposita ab Apostolis, sed revelata a Patre caelesti. Dicit quidem Comment. in Joannem CYRILLUS: *per unum qui praerant, omnes respondent; sed de Petri responso Matth. 19. et Joann. 6. dato loquitur non autem de praesenti.*

Ad 2. D. Apostoli etiam vocantur fundamenta ratione doctrinae et praedicationis, C. ratione auctoritatis et gubernationis, *subd. aequaliter aut eodem jure, N. diversimode ac minori, C. Notio fundamenti tribuitur: 1. Christo, ut auctori ac institutori Ecclesiae, et ejusdem Capiti ac Rectori perpetuo, sed invisibili; 2. Petro, ut Ecclesiae Capiti visibili et gubernatori vicario Christi; 3. Prophetis et Apostolis, ut fidei praecursoribus, et Ecclesiam vel praenuntiantibus vel sua praedicatione formantibus; in qua postrema acceptione enuntiat textus ad Ephes. laudatus, cum ibid. haec praemittantur de Christo: *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* Convenit quidem Apostolis et altera fundamenti notio ex auctoritate et gubernatione, non tamen aequae ac Petro: huic enim promissa est singulariter et collata praecipue, illis autem praedicta communiter et data simpliciter; huic ut potestas ordinaria et ex pastoris officio, illis extraordinaria et ex legationis seu Apostolatus privilegio; huic incircumscripita et nulli obnoxia, illis definita et subordinata, ut ex comparatione utriusque facti historici facile elucet.*

Ad Hieron. R. Difficultatem evanescere textus integri recitatione, qui est hujusmodi: *Licet super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.*

Quoad memb. 3. R. N. 1. p. Ass. Ad 2. p. D. Per petram intelligitur fides et confessio seorsim a Petro, seu in abstracto, N. prout edita ab ipso Petro, seu in concreto, C. sicut, dum Hieron. epist. 61. dicit *super aquam ambulasse Petri fidem*, his verbis designando meritum miraculi, non negat subjectum; sic Patres laudati volunt confessionem fuisse causam meritoriam promissionis, non negando Petrum esse personam cui illa promissio facta est; adeoque Petrum fidelem ac confessum, seu ob fidem et confessionem petram fuisse constitutum insinuant. Ubi adverte explicationem hanc, sicut de prima ostensum etiam est, editam fuisse data tantum occasione, et usurpatam contra *Arianos*, ut doceretur fidem de divinitate Christi esse capitalem articulum, hujusque impugnatores evertere fundamentum Ecclesiae.

Inst. 1. Claves regni caelorum nec solus Petrus accepit, cum reliquis

quoque Apostolis Matth. 18. fuerit promissa solvendi ligandique potestas, et eadem Joann. 20. tradita: nec singulari acceptione praecellentiam est consecutus, cum eam nomine Ecclesiae sit adeptus, testantibus id Augustino Tr. 50. et ult. in Joann. alibique, nec non Origen. Tr. 1. in Matth. Hilar. L. 6. de Trinit. Ambros. in Psalm. 38. et aliis.

R. 1. N. 1. p. Quia de clavibus regni caelorum nec Matth. 18. nec Joann. 20. mentio fit ulla; sed tantum de solvendi ligandique potestate; quae sane minor esse potest, et ultimo etiam loco explicite determinatur ac restringitur ad facultatem peccata remittendi ac retinendi: cum potestas per claves regni caelorum indicata universalem, principalem et ordinariam facultatem significet.

R. 2. D. 1. p. Claves regni caelorum non solus Petrus accepit simpliciter, C. non solus accepit cum praerogativa, N. Praerogativam ac praecipuum aliquid praeter Apostolis caeteris datum fuisse Petro ipse facti circumstantiae denotant. Nam Matth. 16. potestas promittitur diserte Petro soli, post et ob confessionem; Matth. 18. autem non promittitur, sed praedicatur tantum, non solis Apostolis, sed praepositis Ecclesiae omnibus, neque post vel ob aliquid meritum: Joann. 21. potestas confertur rursus Petro soli, ac praerequisita charitatis praecellentis contestatione, et quidem talis quae tum includat auctoritatem supra ipsos fidelium patres ac principes, tum tanquam superaddita distinguatur ab illa Joann. 20; rursus non confertur solis Apostolis, sed discipulis omnibus, idque absque praebulo actu meritorio; neque ista collatio omnium postrema, neque suprema fuit, ut ex tempore facti et sensu verborum apparet.

N. 2. p. Ad Rat. D. Petrus claves accepit nomine Ecclesiae, h. e. non ut persona privata, sed ut caput Ecclesiae, non ut personale privilegium, sed ut commune successoribus in Ecclesiae Pontificatu officium, non ut proficuum tantum sibi aut classi hominum singulari, sed ad commodum totius Ecclesiae publicum, C. alio sensu, N. Patrum autem sensum a praedictis non esse diversum ex ipsis eorum verbis manifestum alibi fecimus.

Inst. 2. Cura pastoritiae reliquis Apostolis aequae demandatur tum in epist. 1. Petr. 5. v. 2. et Act. 20. v. 28.; tum apud Aug. L. 6. de Agon. Christian. dicentem: *Cum ei dicitur, ad omnes dicitur: amas me? pasce oves meas; et CHRYSOST. qui L. 2. de Sacerd. eadem verba Basilio Episcopo particulari applicat.*

R. N. A. Hoc neuter Scripturae textus probat, cum de grege particulari et determinato agat: Dicitur enim: *«Pascite, qui in vobis est, gregem; et attendite universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos.»* Quamvis autem Apostolos etiam pastores universales dici permittamus, Petro tamen praeminentiam esse tribuendam ex probatis hactenus et responsis abunde constat. Nec plus aliquid textus Patrum probant. Aug. enim sermone directo vel ad solos Petri successores, vel ad omnes quidem Episcopos, ad proprium tamen gregem relatos, loquitur: CHRYS. autem dicta ad Petrum applicat pastoribus minoribus, servata nihilominus proportione, atque hinc significatione magis restricta.

Inst. 3. In Ecclesia nullus est primatus constitutus; ergo: Prob. Luc. 22. orta inter Apostolos contentione, quis eorum videretur esse major, Christus increpans dixit v. 25. *Reges gentium dominantur eorum; et qui potestatem*



habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic. Sed nec nata foret hæc contentio, si Petrus fuisset primas: nec reprehensio data, si primatus esset constitutus: ergo. 2. In epist. ad Ephes. 4. *Christus est caput Ecclesiæ*; et Ecclesia est corpus Christi, non autem Petri aut alterius Apostoli: ergo præter Christum nemo in Ecclesia principatum obtinet. 3. Christus æqualiter dicit omnibus Apostolis Joann. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*; et Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas; Euntes ergo docete omnes gentes etc.* Ergo unus cæteris non est præpositus.

R. ad Arg. quoad 1. N. A. Non equidem Petrus tum jam fuerat primas, aut primatus constitutus: sed ille duntaxat designatus, et hic promissus: nihilominus oriri potuit contentio, et justa fuit reprehensio. 1<sup>um</sup> quidem quia hoc loco non negatur inter Apostolos futura inæqualitas et alicujus præcellentia; sed potius supponitur his verbis: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est* (græce ἡγούμενος, h. e. dux et princeps), *sicut qui ministrat*; quin et exemplo Christi confirmatur, dum additur: *Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat.* 2<sup>um</sup> vero quia de potestate temporali ac mundana et secundum modum vitiosum erat contentio; quod utrumque Christus corrigit his verbis: *Vos autem non sic.* Excludens scilicet dominatum politicum, non spirituale præsidium; reprehendens ambitionem in postulatione, fastum et acrimoniam in exercitio, vanam gloriam et lucrum sordidum in intentione; commendans ex opposito æquabilitatem humilem in aditu, paternam moderationem in usu, laboriosum communis utilitatis studium in fine.

Quoad 2. R. N. Cons. Sicut prædicata fundamenti, pastoris, ministri, Doctoris, lucis, imo Dei, in Scriptura communicantur Apostolis, quamvis sint Christo propria; sic et capitis Ecclesiæ nomen convenire potest: præsertim quia Petrus caput duntaxat visibile, vicarium et subordinatum Christo agnoscitur. Ex hoc ipso autem apparet cur Ecclesia non dicatur corpus Petri, sed Christi; quia nempe a capite principali et perpetuo sumitur compellatio, sicut regnum a Rege, non a prorege, et domus a Domino, non ab œconomio compellatur: vel quia Ecclesia corpus Christi dicitur, non tam attendendo ad caput quam ad hypostasim; unde et Christus ipse corpus mysticum dicitur, constans ex multis et variis membris.

Quoad 3. R. D. Cons. Ergo hic et vi istorum verborum unus cæteris non est præpositus, C. alibi et vi verborum aliorum, N. Potestas hic collata est Apostolica, non pastoralis.

Inst. 4. Etenim: 1<sup>o</sup>. Apostoli Act. 6. sine Petri mandato eligunt Diaconos; et Act. 8. ipsum Petrum mittunt Samariam; ergo Petrus non fuit Apostolis superior, sed potius inferior. 2<sup>o</sup> Hier. ubi in Matth. 18. dixerat Apostolos ob solum didrachma esse suspicatos principatum Petro destinatum, subjungit: *Dominus causam erroris intelligens, gloriæ desiderium humilitatis contentione sanavit*; ergo. 3<sup>o</sup>. Juxta Cyr. L. de unit. Eccl. *Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis*; ergo Petrus primatum honoris et potestatis non habuit.

Quoad 1. R. N. Cons. 1<sup>um</sup> enim factum non esse Petro invito ac nolente, sed saltem consentiente, textus ipse demonstrat: fuisse etiam factum eo auctore, non vane colligitur ex factis aliis supra relatis; quorum multitudo facit ne

præjudicet auctoritati Petri, tametsi hoc unum communi omnium consilio foret susceptum. Neque 2<sup>um</sup> obest, cum Petrus ab Apostolis mitti potuerit consulendo, non jubendo; uti Judic. 22. Phinees ab Israelitis ad Tribus Ruben et Gad; Matth. 2. Magi ab Herode in Bethlehem missi fuerant, et subin Præpositi a Capitulis, ac Principes a Consiliariis ad negotia tractanda mittuntur.

Quoad 2. D. A. Et error Apostolorum stabat in eo quod Petrum suspicarentur futurum se majorem, N. quod temporalem ac mundanum principatum somniarent, C. habebant nempe Apostoli communem cum Judæis errorem de terreno Messiæ regno, correctum a Christo sæpius et reprehensum.

Quoad 3. R. D. Apostoli fuerunt præditi pari consortio honoris et potestatis, ratione Apostolatus, T. ratione Episcopatus, N. Ratione Apostolatus cum dono miraculorum acceperant Apostoli auctoritatem promulgandi Evangelii in universo mundo, docendi verbis et scriptis canonicis omnes gentes, baptizandi credentes, baptizatis Sacramenta conferendi, omniaque præstandi, quæ ex parte sive ordinis sive jurisdictionis ad formandam Ecclesiam pertinebant: ratione Episcopatus acceperant potestatem, congregatis secum fidelibus Episcopos et pastores præficiendi, ritus ac disciplinam, leges ac pœnas statuendi, omniaque faciendi quæ ad gubernandam hanc Ecclesiam spectabant.

Utraque a Christo, ut plerique conveniunt, immediate omnibus est collata Apostolis. Prior potestas erat æqualis, quia ad promptiorem fidei propagationem accommodatior, ac tum quodammodo necessaria; sed tamen inæqualiter collata, quia a Petro tanquam ordinario pastore ad successores transferenda, ab Apostolis autem ut delegatis sine novo mandato non transitura. Posterior erat inæqualis, quia gubernatrix Petri facultas ad omnes omnino Ecclesias, Apostolorum aliorum autem duntaxat ad eas quas fundaverant protendebatur: inæqualiter etiam collata, quia eadem Petri proferebatur supra Apostolos, non item Apostolorum supra Petrum.

Inæqualitatem hanc ad schisma prohibendum necessariam et in primatu ac Imperii unitate fundatam satis demonstrat Cyr. verbis objectionem proxime sequentibus, dum ait: *Sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur.* Idem confirmat tum ibidem similitudine solis, radiceis et fontis superius allata: tum in epist. ad Jubaian. dicens: *Dominus primum Petro, super quem edificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit ac ostendit, potestatem istam dedit.... Ecclesia quæ una est, super unum qui claves accepit, voce Domini fundata est.*

Inst. 5. Nam 1<sup>o</sup>. HESYCHIUS in orat. de Jacobo Fratre Domini, eundem vocat *Apostolorum caput et in capitibus verticem*; in Concilio autem Hierosolymitano concedit Petro disputationis tantum laborem, Jacobo judicii sententiam. 2<sup>o</sup>. CLEM. ALEX. apud Euseb. L. 2. Hist. c. 1. ait: *Petrus, Jacobus et Joannes post assumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, tamen non sibi vindicabant primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum Episcopum statuunt.* 3<sup>o</sup>. Hierosolyma est mater omnium Ecclesiarum, quia secundum Isa. 2. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*; Jacobus autem erat Episcopus Hierosolymæ; ergo et is pater est omnium Ecclesiarum, non Petrus.

R. quoad 1. HESYCHIUS periodum, Rhetoricam potius hyperbolen, quam Theologicam exegesin esse probat tum similis exaggeratio, quam S. Andræe



in alia de ipso oratione adscribit, tum adjecta ibidem confessio qua Petro primatum gratulatur, tum ipsa maxime historia Evangelica quæ Petro prærogativam tribuit, de Jacobo penitus silet.

Quoad 2. R. Lectionem illam *Apostolorum Episcopum*, in Basileensi Clementis editione esse corruptam, et his verbis *Hierosolymorum Episcopum*, sive heterodoxi editoris fraude, sive exemplaris vitio suppositam: posterior enim lectio Codicibus pluribus et Nicephori L. 2. c. 3. sententiæ congruit. Quod de primatu additur, et simile quid de solio a Chrysostomo Hom. 3. in Acta Apost. dicitur, intelligendum est de Sede Hierosolymitana, omnium primo erecta et in urbe tum nobilissima, quam nominati Apostoli reliquerunt Jacobo minori.

Quoad 3. R. D. Hierosolyma mater erat omnium Ecclesiarum antiquitate et gestorum initio, C. auctoritate et præsidis Imperio, N. Equidem post perfecta redemptionis mysteria, præeunte Petro et reliquis adjuvantibus, Hierosolymæ promulgari lex nova et formari prima Ecclesia cœpit; ea tamen in urbe adeo auctoritas non resedit, ut illa Metropoli Cæsareæ subiceretur primo, postmodum quidem Patriarchatu aucta, dignitate tamen et ordine postrema maneret. Quam vero tribuerat illi Petrus, primum ibidem commorans, eandem, interim dilatata amplius Ecclesia, idem Antiochiam ad tempus, demum perpetuo Romam transtulit supremam potestatem: quod BERNARD. L. 2. de Consid. notans scripsit: *Jacobus una Hierosolyma contentus universitatem Petro cedit.*

138. Dico II. Primatus S. PETRO concessus est ita ut divisus non fuerit aut communis cum PAULO, multo autem minus unus omnium Apostolorum et indivisus Episcopatus.

Prob. 1<sup>a</sup>. p. I. Communicatio primatus a Patribus negatur PAULO, utpote quem illi inferiorem Petro enuntiant: sic enim AUG. L. 2. de Bapt. c. 1. ait: *Commemorat Cyprianus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcissione agere solitum, a posteriore Apostolo Paulo esse correctum.* Similiter in expositione epist. ad Galat. Paulum vocat posteriorem Pastorem: in epist. 82. ad HIERON. autem hæc addit: *Petrus, quod a Paulo fiebat libertate charitatis, pietate humilitatis accepit; atque ita posteris præbuit exemplum, etiam a posterioribus, quam Paulus, corrigi: quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica auctoritate, salva fraterna charitate, resistere.* GREG. L. 2. super Ezech. Homil. 18. de eadem reprehensione loquens scribit: *Ecce a minori suo reprehendi non dedignatur: non ad memoriam revocat quod claves regni cælorum accepit: minori fratri se ad primum erat in Apostolatus culmine, esset et primus in humilitate.* THEODORET. de Paulo Petrum invisente in epist. ad Galat. sic commentatur: *Etenim cum Paulus humana doctrina non indigeret, ut qui ab universorum Deo eam accepisset, Apostolorum Principi, quem par est, honorem tribuit: HUGO VICTORIUS. Serm. 64. ita disserit: Petrus cæteris eminentior excellentia potestatis, Paulus excellentia prædicationis; Petrus sol, Paulus luna; Petrus sol per collatam sibi divinitus potentiam, Paulus luna per collatam sibi divinitus sapientiam etc.*

II. Eadem communio primatus 1. caret figura et exemplo, cum Synagoga Primas unicus semper fuerit Pontifex summus: 2. caret institutione et initio, cum nec Petro promissus aut datus sit suæ potestatis socius, nec Paulo ullibi concedita æqualis aut sociæ potestas: 3. caret successione et progressu, cum duplex supremum Ecclesiæ caput post utriusque Apostolorum Principis mortem hactenus numeratum non fuerit, nec ullus Pauli successor æquam aut eandem cum successoribus Petri potestatem usurparit: 4. caret necessitate et commodo, cum prioris nullum sit vestigium, posterioris autem, si quod est, nulla videatur habenda ratio.

III. Hæc potestatis participatio imprimis incongrua est S. PAULO, utpote qui destinatus ad disseminandam Christi fidem per universum orbem, et ad parturiendas Ecclesiæ oves, occupari minus apte poterat in gubernandis fidelibus et ovibus pascendis. Deinde injuriosa est S. PETRO; cujus scilicet auctoritas a Christo data sine exceptione et consortio, et administrata sine abusu ac demerito, foret revocata et translata in Paulum ex dimidio, ob jus præventionis et æqualitatem. Denique est perniciosa Ecclesiæ; cujus unitatem divisio capitum tollit, et schismati, discordiæ ac perturbationi proximam occasionem præbet: Tandem est fidei contraria; cum INNOCENT. X. in Bulla 24 Januar. A. 1647. « hanc propositionem: S. Petrus et S. Paulus sunt duo « Ecclesiæ Principes, qui unum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ Catholice « coryphæi summa inter se unitate conjuncti, vel sunt geminus Ecclesiæ « vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiæ summi « pastores ac præsidēs, qui unicum caput constituunt; ita explicatam, ut « ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et « regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit et declaravit. »

Prob. 2<sup>a</sup>. p. I. S. PETRUS in potestate Ecclesiastica fuit aliis Apostolis prælatus. Ita NAZIANZ. Orat. 26. *Vides, quemadmodum ex discipulis Christi, magnis utique omnibus et excelsis, hic (PETRUS) petra vocetur et Ecclesiæ fundamenta in fidem accipiat, ille (JOANNES) impensius ametur et supra pectus Jesu requiescat; ac reliqui discipuli eos sibi præferri æquo animo ferant.* CHRYSOST. L. 2. de Sacerd. c. 1. *Ea agis, quæ cum Petrus ageret, illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe præcellere.* MAXIMUS Constantinopolitanus in epist. ad Orient. *Petrum ex cæteris mortalibus de toto orbe conditor, orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii jure concessit.*

II. S. PETRUS etiam supra Apostolos potestatem accepit. EUCHER. enim in Serm. de SS. Petro et Paulo inquit: *Non solum pastorem, sed pastorum pastorem constituit: pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, regit subditos, regit et prælatos: omnium pastor est; quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est.* CHRYSOST. Homil. 3. in Act. Apostol. agens de Petro electionem Matthiæ ordinante ait: *Merito primus omnium usurpat auctoritatem in negotio, ut qui omnes habeat in manu.* LEO Serm. 3. de Assumpt. sua: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut, quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* CYRILL.